

**XVII. IANVARII.
DE S. ANTONIO MAGNO ABBATE IN
THEBAIDE.
MIRACVLA S. ANTONII.
Ex Variis.**

§. I. Ignis sacer. Miracula ad reliquias S. Antonij.

[1] [Ignis sacer grassatur circiter an. 1090.] Iam seculo integro reliquiae S. Antonij in Gallia fuerant cum praecipue grassari sacer ignis coepit, & S. Antonium eximium orbi medicum ostendit. Sigebertus in Chronico ad an. Ch. 1089. eumque secutus Vincentius lib. 25. speculi historial. cap. 84. hunc morbum ita describunt: Annus pestilens, maxime in Occidentali parte Lotharingiae, vbi multi sacro igne interiora consumente computrescentes, exesis membris instar carbonum nigrescentibus, aut miserabiliter moriuntur, aut manibus & pedibus putrefactis truncati miserabiliore vitae reseruantur; multi vero nervorum contractione distorti tormentantur. Iacobus Meyerus lib. 3. Annal. Flandr. hunc ignem praevio caelesti prodigio immissum ita refert: [caelesti ostento denuntiatus.] Anno 1088. tertio Kalend. Septemb. visus est igneus draco volare per medium caeli, & ex ore suo quasi flammam euomere; statimque subsequutus est pestilens ille morbus, qui Ignis sacer vocatur, quam tum Arsuram appellabant quidam. Et anno 1089, saevit vehementer in Flandria sacer ignis, quam ignariam vocabant pestem. Et anno 1092. Tornaci religiosa instituta supplicatio ab Rabodone Episcopo, die Exaltationis sanctae Crucis, ob pestem quam vocabant ignariam, hoc est, sacrum ignem. Magna religione sacris vbique operatum, ad procuranda quae fiebant prodigia, placandamque Dei iram. Nam alij instar carbonum nigrescentes, alij exesis morbo visceribus tabescentes,

pars truncati miserabiliter membris; incredibile est dictu, quam multi mortales sacro illo igne sunt absumpti. Scilicet, vt Virgilius lib. 3. Georgicorum in fine de suo tempore cecinerat,

— — *Nec longo deinde moranti
Tempore, contactos artus sacer ignis edebat.*

Quo loco in Notis num. 25. docte de hoc igne disserit, & varias eius appellationes explicat Ioannes Ludouicus de la Cerda noster. Eodem anno scribit Abbas Vrspergensis in Chronico, pestilentiam magnam factam esse hominum atque pecudum. In gregibus hæc lues pusula dicitur. Ita Columella cap. 5. lib. 7. Est etiam insanabilis sacer ignis quam pusulam vocant pastores.

[2] Plura de igne sacro tum grassante Buzelinus noster lib. 4. Annal. Gallo-Flandriæ, ad quem extinguendum recenset tum alia remedia diuinitus concessa, tum beatissimam Virginem, [Imploratur patrocinium variorum Sanctorum,] SS. Martinum, Piatonem, Rictrudem, multis salutem opemque præstitisse. Cum vero ea lues iisdem temporibus in aliis Galliaë partibus sæuiret, & teste Hugone Farseto apud Aymarum Falconem, aduersariæ potestati humanique generis inimico tunc concessum videretur percutere plaga ista diuersæ ætatis & sexus homines, ita vt simul succensa eorum corpora cum intolerabili cruciatu arderent, iis, inquam, temporibus cultus S. Antonio maior haberi cœpit: [præcipue S. Antonij,] quo factum vt maximus ægrorum concursus ad Motensem eius basilicam sit factus, ac plurimi omni ea tabe illius meritis sanati. Ea ita describit Aymarus Falco par. 2. c. 31. Inciderunt hæc circa ea tempora, quibus, vt Sigebertus & Vincentius historici supra memorati referunt, dira lues, igneique morbi, seu sacri ignis persecutio, in Occiduis atque Septemtrionalibus partibus quamplurimos mortales absumebat, multosque membris crudeliter

perustis mutilabat. Cui miseriae horrendaeque calamitati praesentaneum atque efficacissimum remedium afferre perspecta est deuota imploratio patrocini atque intercessionis beatissimi Antonij. [maximo concursu,] Quapropter reliquiis sancti corporis eiusdem apud Motam honorifice repositis non facile dictu est quantus illuc populorum concursus, quantaque mortalium frequentia, ex diuersis regionibus conflueret. Qua in re id quod dudum de Antonio viuento Athanasius protulerat, etiam eo caelestibus sedibus aggregato effectualiter adimpleri fierique cernebatur, scilicet dum ipse Athanasius ait: Totius orbis homines ad Antonium certatim confluebant, & bellicosum contra daemones virum conspicere gestiebant. Clarescebant autem in dies varia & stupenda miracula, quae Christus in eodem loco per intercessionem sui gloriosi Confessoris iugiter operabatur. Reliquiis sancti corporis apud locum qui prius Mota dicebatur, vt praedictum est, repositis honorificeque collocatis, concurrentibus undique populis, locus ipse apud omnes clarior fieri, longeque illustrior haberi coepit, vnde suppressa veteri appellatione alteram sensim nuncupationem induit. Nam qui antea Mota vocabatur, subinde ob susceptam a Diuo illo Patre illustrationem S. Antonius vulgo coepit nuncupari, quemadmodum ex publicis locorum maxime vicinorum documentis patenter ostenditur.

[3] [plurimis secutis miraculis.] Idem cap. 33. Possem hoc loco pene incredibilia, quamquam veracissima, referre; sed in praesentiarum propositi nostri non est in his enarrandis diutius immorari, quae pene iustum volumen per se exigere viderentur. Nec arbitror quemquam scribendo assequi posse miraculorum numerum. Et cap. 40. agens de magna peregrinorum turba, quae die Dominicæ Ascensionis ad solennem processionem confluere solet, [Reliquiae circumgestatae ab illustrib. viris.] ita pergit: In huius autem processions deuotissima

celebritate, quamquam ab initio sanctum corpus in capsula repositum loci Domino, nec non quibusdam nobilibus illustribusque personis prouinciæ Viennensis deferri consueuisset, attamen annis iam propemodum ducentis Mediolani Duces id sibi iuris vindicarunt, ut humiliter & devote huius subeundi muneris locum secundum per se vel deputatos exequantur, exoptatissimaque huiusce muneris functione perfruantur.

[4] [Vinum iis intinctis sanctificatum,] Hoc quoque eadem celebri die ab antiquo ad nostra usque tempora extitit obseruatum, ut dicti sancti corporis reliquiæ vino perfundantur, quod inde reseruatum diuersorum languorum remediis utilissimum affluentiori populo propinatur, atque exhibetur. Innumeris profecto experimentis probatum est, [salutare contra morbos.] eius sanctificati vini virtutem aduersus sacri ignis incendia præsentaneam afferre medelam. Eoque ipso, quo hæc scripsimus anno, plurimos nouimus irroratione & conspersione vini illius ab ea sacri ignis lue, non sine summa diuinæ virtutis contestatione, fuisse curatos. Nostraque memoria Reges & Principes eo salutari remedio usos fuisse perspicuum est. Quapropter eiusdem vini sanctificationem Sedes Apostolica comprobavit, decreuitque nullis licere tale vinum conficere, præterquam in ipso, quo sancti corporis reliquiæ quiescunt, S. Antonij monasterio. Hæc Aymarus.

[5] Aucta est, inquit Baronius an. Ch. 1089. num. 18. ex historia Antoniana, eo amplius erga Sanctum reuerentia, quod, sicut eo morbo ægrotantes sanari consueuerint, ita sani in eundem Sanctum peccantes, siue periurio, aliaue irrogata in eum blasphemia vel contumelia, [Periuri aut in S. Antonium blasphemi puniti.] eundem mox experiri solerent ultorem, eodemque confestim morbo ignis sacri percuti: quod pauendum cunctis prodigium hactenus perseuerat, adeo ut in prouerbum versum sit, In Antonium

neminem impune peccare. Quod infra recentioribus miraculis confirmabitur.

[6] Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis sermone habito in concilio Constantiensi tomo 1. operum, admiratur multiplices, quæ contigerunt, ignis sacri curationes: Quot miraculis, inquit, in vita, [Innumerabiles curationes.] quot post mortem beneficiis & opitulationibus refulsit Antonius, præsertim in hac quadam speciali prærogatiua, quod ignem sacrum fugat ex corporibus, in signum quod ignem concupiscentiæ libidinosæ perniciosiorem inuocatus refrigerat in cordibus! Exclamet ad ardorem ignis huius infernalis tentatus: O sacer Antoni adiuua me. Eadem rationem assignat to. 4. ser. 3. de S. Antonio: Facile est creditu, inquit, S. Antonium specialem gratiam a Deo recepisse sanandi ignem corporalem in infirmorum membris, eo quod taliter vicerit spiritualem ignem iniquæ carnalitatis. & ad multitudinem miraculorum respiciens sermone primo habito coram Duce Burgundiæ, asserit se miracula eius probatissima non recitare, quod nihil noui dicturus esset, cum ipsa in toto orbe sint notissima. Aymarus Falco: Hoc ipso, inquit, quo hæc scripsimus anno, id est, Christi 1530. plurimos Deo teste sciuius eo diro morbo laborantes, implorato eiusdem Sancti patrocinio, locoque morbi diluto, seu consperso eo vino, quo sacri corporis reliquiæ intinctæ fuerant, pristinae restitutos fuisse sanitati. Meminit eorum Saussaius XIII. Iunij: Viennæ in celebri toto orbe sui nominis basilica, quæ etiam religiosi Ordinis caput est, repositum (corpus S. Antonij) condecienti honore quiescit, perpetuisque nitet receptæ caelitus opitulationis, in eis quorum membra sacer ignis depascitur, at gratiosis prodigiis.

§. II. Miracula in Belgio, & Germania.

[7] [Sacellum S. Antonij iuxta Belliolum:] Iuxta Belliolum Flandriæ oppidum celebris admodum ad S. Antonium, igniaricæ luis depellendæ gratia, fieri concursus consuevit, qui an. Ch. 1626. morbo circumcirca denuo grassante, non sine plurimorum solatio redintegratus, sodalitio, seu Confraternitate S. Antonij ibidem erecta, atque ab Urbano VIII. Pontifice Max. eodem anno VI. Kalen. Iulij approbata, indulgentiaque amplissima pœnitentiarum locupletata. Pertinet quod isthic frequentatur sacellum ad monachos Benedictinos cœnobij S. Ioannis, quod olim ad muros Morinenses, siue vrbis Teroanæ fuit, inde Belliolum, post Ipras translatum est. De eo recensque editis isthic miraculis librum edidit Petrus Ramerus eiusdem monasterij Religiosus: in quo testatur S. Antonij ope sanatos quadraginta, qui sacro igne erant correpti; [plurima ibi factæ miracula.] & quidem crure altero laborarant Ludouicus VVassenhoue Iprensis, Ioannes Snellart Hogheleanus, Ioannes de Konninck Nordtbertkinus, Carolus Vander straet Castrensis, Simon Ianssonius Leffingia e Franconatu oriundus, Haringus Lanckriet, Francisca vande VValle, & Ioanna Mesdach Tiletani, Francisca Bubbe & Petronilla Svinghedau Belliolanæ, Maria Liteyn Zillebecana ex agro Iprensi, Maria Caproen & Læuina Vanden Steen Iprenses. Tibiam vnam tetra vlcera tabesque multiplex depascebatur Valentino Philippo Artesio, & Petro Brueys Belliolano; vtramque Matthiæ Lalij Belliolano, Iudoco Kemele Bouekercano in agro Dixmudensi, Ioanni Abundio Italo, Susannæ de Raedt Nipkercanæ ad Lisam flumen: tibiam & brachium vtrumque Mariæ ancillæ Ioannis Rabaudt ciuis Casletani, brachium Petro Storm Meterensi, Barbaræ de Sante Religiosæ ord. S. Francisci Neoporti, Petronillæ Svyngedau Belliolanæ, his vnicum: ast vtrumque Franciscæ Gruson Meterensi; & brachium dextrum cum latere humeroque Petro de VVinck Castrensi: manum vnam Petro de Brune Adrikercano, Ioannæ Bubbe Belliolanæ, Mariæ Vroyelinck Casletanæ;

vtranque Mariæ VVerkin Iprensi, manus ac pedes Catharinæ de Breyne Comenis ad Lisam natæ: pedem alterum Petronillæ de Koninck e Kemela pago oriundæ, & Michaeliæ Velle Belliolanæ: pedum digitos Mariæ Pont Neokercanæ: genu Iudocæ Borrevvals Iprensi: coxendices ac genua Mariæ Banzel Belliolanæ, dexterum latus Mariæ le Mettre Peenensi: corpus vniuersum Audomaropolitano infanti Adriano Værelle. Eodem malo leuati, non expressa parte corporis quæ tabem senserit, Franciscus Huysman & Ioannes Vermote Tiletani. Aliis æque periculosis morbis ope S. Antonij liberati, diuturnis incognitisque, Cæcilia de Thielt Iprensis; vlcerosis, inflammatisque tibiis Guilielmus Ionckheere Iseghemius ex agro Cortraceno, Liuinus van Damme, Ioannes van Ackere, & vxor Andrææ van Damme ex Flandria Orientali oriundi & Isabella Formanoir Ordinis S. Claræ Ipris Religiosa; incurabili incomperoque brachij dolore Iprensis Religiosa monasterij Nonneboßij Ordinis S. Benedicti Margareta Laben; lenta denique quartana febril Ioannes van Ackere Belliolanus, & Ioannes Rysport vir nobilis, sæpiusque consulatu Bellioli perfunctus, cuius filia Iudoca van Rysport eiusdem Diui ope a peste sanata. Hæc fuse Petrus Rainerus, citatis paßim testibus, aut publicis etiam Notariis, qui scripto hæc excepere: nos breuissime nomina, morborumque genera collegimus. Meminit huius libri Antonius Sanderus de claris Antoniis.

[8] [Alibi in Belgio celebris S. Antonij cultus:] Reliquis quoque Belgicæ vrbibus celebris S. Antonio, ob frequentia facta ab eo miracula, veneratio habetur; eiusque nomine egregia balistariorum Sodalitia insignita sunt. Atrebatum eius honori iam olim sacra Confraternitas, vt vocant, seu sodalitas, adeo hodieque efflorescit, vt nemo fere ciuium illi nomen non det, teste Sanderus supra. In variis Artesiæ paræciis sub titulo S. Antonij Confraternitates eiusmodi erectæ, vti & in pago Bousbeck ad Lisam in agro Insulensi, ad quem ex vicinis locis, sæuiente licet hyeme,

magna pietate supplicatum itur. Celebris olim in Roubaix, quem locum Montmorenciaca familia Belgica titulo Principatus tenet, Confraternitas fuit, quæ nuper restituta. Colitur magno populi confluxu in Prioratu iuxta Montes, Hannoniæ metropolim, qui S. Antonij dicitur, & collegio Societatis Iesu in eadem vrbe erecto, attributus est. Silemus ne nimij simus alia Brabantia, Gelricæ, & reliquarum prouinciarum loca, quorum infra in miraculis nonnulla attingentur.

[9] [& imago ædibus præfixa.] Certum & insigne, eiusdem Sancti beneficia eo grassante morbo huc vsque perseuerasse, constitutum publice indicium est, quod huius ignis sacri historia cum Sancti imagine plurimis in locis præ foribus ædium priuatarum adpicta cernatur.

[10] [Coloniæ olim miracula facta.] Coloniæ etiam quondam morbido Antonij igne infecti homines, inquit VVinheim in Sacratio Agrippinæ, Ecclesia 17. magnum ad reliquias istius Sancti Patris (quas in cœnobij Antoniani templo seruari supra diximus) concursum habuerunt. In quem finem in vico ecclesiæ vicino etiamnum certas & separatas habent ædes hospitales, prout etiam in ecclesiæ muro, ex opposito summi altaris, cancelli, per quos ex infirmaria diuina audire, & sacram hostiam videre possunt, indicant. Alibi per Germaniam plurima olim S. Antonio dicata altaria, [Multa alibi loca Sancto dicata.] capellæ, cellæ, hospitalia, ecclesiæ, multaque horum concursu piorum hominum peregre aduentantium frequentata. Cernitur passim eiusdem Diui, etiam ruri, imago.

[11] Illud ridiculum quod nec ipsi Calvinistici rabulæ, soliti in Diuorum imagines, [Imago alicubi ab hæreticis picta, aut tolerata.] veluti dæmoniorum idola, debacchari voce vbique, alibi ferro aut igne, non omnino S. Antonij eliminare imaginem potuerunt. Testatus est nobis vir

eruditus ac grauis Ioannes Grothius noster (a quo nobis plurima ex historia Aymari deprompta, quam beneficio admodum Reu. D. Rutgeri Velen Generalis Præceptoris Domus S. Antonij Coloniae erat indeptus) testatus est is, se ante triennium Herenbergæ, quod oppidum est Sutsaniæ haud a Rheno procul & Embrica Cliuorum, in veterem Catholicorum, sed insessam a Caluinianis ecclesiam cum Prædicante ingressum, nihil ibi sacrum, nullum antiquæ pietatis vestigium conspexisse, præter vnicam S. Antonij in vitrea fenestra effigiem, eamque nuperrime post sacra orthodoxa repudiata depictam. Id vero miranti, respondisse Prædicantem, ita iussisse eum qui fenestram donarat. Sic animis vetusta erga Diuum religio insedit, vt nec tota potuerit recentibus fanaticorum dogmatum præstigiis oblitterari.

§. III. Imago, aliaque promiscui cultus analecta.

[12] [Cur appingi soleat ecclesia,] Ceterum & hoc forte attinet, qua ratione pingi sculpiue soleat, explicare. Cur scripto insertus manibus supra ad vitæ epilogum indicatum de igne hic iam actum. Adpingi nola, & ecclesia cum campanali consuevit: hæc ceu primæ domus Antonianæ imago; [nola,] quale Diuæ Aspricollensis symbolum, quercus; Lauretanæ, ædificula Nazarethana: illa, quia a Nuntiis Eleemosynariæ domus Antonianis ad cogendam stipem concursantibus deferri, in aduentus sui signum, cum reliquiis solita. Quin & porco, qui iis publico oppidorum sumptu alebatur, appensa ad collum nolula erat.

[13] [porcus.] De porco ad pedes S. Antonij locari solito ita scribit Aymar par. 1. c. 48. Ad pedes beatissimi viri sus depicta, seu porcus effigiatus est, quia etiam in hoc animali per seruum suum Deus fecit miracula. Imo porcus appingitur, vt vult Molanus lib. 3. de histor. sacrar. imaginum cap. 5. vt plebeij doceantur, animalia sua eius

intercessionem a malo præseruari. Nam in huius beneficii implorationem ac protestationem porcus plerisque locis alitur a communitate, quem nominant S. Antonij porcum. Fieri etiam potest, quod maiores nostri, dum primum porcum ei potius quam aliud animal appinxerunt, non huc respexerint, sed ad dæmonum insultus, quos perpressus est. Dæmones enim per porcos conuenienter significantur. Hinc quando Arianorum ecclesia Romæ Catholica consecratione dedicabatur, porcus ex ea exiit, inuisibilis quidem, sed qui omnes, per quos transiit, in admirationem commouebat. [lib. 3. Dialog. cap. 30.] Quod idcirco, ait Gregorius, diuina pietas ostendit, vt cunctis patesceret, quia de loco eodem immundus habitator exiret.

[14] Porro sicut maiores nostri memorias Sanctorum inuisentes, libenter pro se conferebant paruam Sancti imaginem, sic etiam pro pecoribus suis collo alligandam nolam ex memoria S. Antonij conferebant, [Etiam Italis porcus nolaque in vsus] protestantes hac ratione, quod meritis sancti Confessoris petebant & confidebant, animalia sua præseruatum iri a peste: quod indicant carmina Ambrosij Nouidii etiam a Romanis obseruari. Agens enim de porco grunniente, qui Antonio appingitur, subdit:

— — *Collo mea concutit æra,
Noscere quæ possis, ne noceatur, ait.
Æsque meum gestat, baculo quod cernis in isto,
Quodque rogans æger, collaque multa gerunt.*

[15] Demum huc spectant hymnus, responsorium, antiphona, Collecta siue Oratio, multarum Ecclesiarum, quæ subnectimus. Quinque præcipue Cælitum inuocari patrociniū aduersus pestilentiam solet, e quibus S. Antonius est. [S. Antonius Patronus contra pestem.] Hinc vetus hymnus in Missali Tornacensi: Veneretur hic

Patronus, quem cælestis habet thronus, qui dando beneficia, mundum replet lætitia. Hic diuinum dans odorem, pestem pellit & languorem, velut rosæ vel lilia redolet in Ecclesia.

[16] Hymnus ex Breuiario antiquo Audomar.

*Vrbs beata Viennensis, & beatus populus,
Vir decrepitus & senex, iuuenis & paruulus,
Apud quem non dubitatur esse Dei famulus.
Manum ægris imperantem seruo dedit Dominus,
Vt cum iubet vi naturæ fiat morbo terminus,
Et tollatur infernalis a herpes esthiomenus.
Hæc apparent per effectum hoc in loco clarius,
[aliosque morbos.]
Vbi mira per eundem Sanctum fiunt sæpius,
Et extingui sacrum ignem constat mirabilius.
Nos infirmi, nos iacentes in peccatis hominum,
Tuis pater indigemus precibus ad Dominum,
Vt a malo liberentur & a nexu criminum.
O quot ad eius infirmi confluunt ecclesiam,
Implorantes per eundem diuinam clementiam,
Et recipiunt ibidem sanitatis gratiam!
Domos nostras circumcinge muro prouidentiaë,
Nec remota leuitatis siue negligentiaë,
Per fenestras ad nos intret mors concupiscentiaë.
Præsta Pater, ad quem nostra mens anhelat, aditum.
Et qui vitæ reparasti nos per Vnigenitum,
Dona nobis ab vtroque procedentē Spiritum, Amen.*

[17] Responsorium ex Breuiariis antiquis, Tornacensi, Hildeshemiensi, &c.

*Plaude Vienna manu, tanto dotata Patrono,
Quem dedit Ægyptus pignora cara tibi.
Percutit, & sanat, extinguit, & excitat ignes,
Ardentesque minas intonat Antonius.*

Oratio ex antiquo Missali Romano, & plerisq; vetustis Breuiariis: [Oratio de S. Antonio.] Deus qui concedis obtentu S. Antonij Confessoris tui atque Abbatis morbidum ignem extingui, & membris ægris refrigeria præstari, fac nos propitius ipsius meritis a gehennæ incendiis liberatos, integros mente & corpore tibi feliciter in gloria præsentari.

Annotatum

*Existit sacer ignis, & vrit corpora serpens,
Quamcumque arripuit partem, repitque per artus.*

§. IV. Pœnæ in blasphemos, aliosque impios.

[18] Florentinæ historiæ scriptor, & post illum non contemnendi auctores referunt, [Sacrilagus igne S. Antonij consumptus,] Gregorij XI. Romani Pontificis temporibus, apud Cæsenam Italiæ vrbem hoc stupendum miraculum contigisse. Nam cum ibidem Britonum copiæ adessent, & quidam ex Britonibus ipsis in ecclesia quadam super altare paruulos aliquot in ipsa direptione ciuitatis immaniter trucidasset, furoreque ebrius gladio cruento imaginem S. Antonij in pariete depictam ictibus lacesseret; mox ignis carnem eius corripuens ac deuorans, horrendo spectaculo, illum inuasit. Dumque immensis doloribus vreretur, cucurrit ad mare, & in aquam se proiciens, ibi ab igne consumptus est totus cum ossibus.

[19] Nec dissimile est, quod apud S. Dionysij Burgum non procul a Placentia constat nostra memoria contigisse. Illic siquidem Gallici exercitus miles quidam pari exemplo suæ temeritatis pœnas luit, [alius,] igne sacro miserabiliter exustus, spectante hoc ipsum numerosissima exercitus parte.

[20] b Romæ in templo D. Antonij conspicitur imago hominis ardentis depicta, [alius periurus:] cum hac inscriptione: Marcus Brixianus miles admota aræ D. Antonij manu, periurus, vltore Numinis igne correptus, moritur Idibus Augusti anno 1573.

[22] Anno MDLXXVI. XI. Iunij dum Dux Alenonius, frater Regis Franciæ, esset in vrbe Castillion, & excubiæ pedestrium copiarum, in villa, quæ dicitur Soulci, a dicta ciuitate vno plus minus milliari distante, agerentur, tres milites male feriatu deprehenderunt præ foribus imaginem S. Antonij in petra erectam: [alius miles Franeus,] ac post multa scandala, ludibria, & dicteria in eam congesta, caput quidem imaginis galea, manus vero armarunt hallebardia, talia cum exsecrandis blasphemiiis euomentes: Tu, si quid vales, si qua tibi potestas, in præsentiarum nunc eam demonstra contra nos, ac te defende. Quo dicto suis armis imaginem impetunt multis ictibus. Quibus non contenti, vnus eorum bis aut ter displosa bombardam imaginem illam oppugnare aggreditur; ac eius faciem inter mentum & inferius labrum iaculatus globulo tormentario lacerat sacrilegus. At non impune: nam eodem momento ille impius, magno eiulatu exclamans, horridumque eiulans: Totus, inquit, ardeo, totus comburor, statimque prolabitur mortuus in terram. In cuius facie eodem loco, vbi imaginem globo violarat, vice reddita, ignis scelerum vindex, qui totum inde os replebat, velut via facta erumpens perluxit, eum deuorans, etiam cum iam miseram exhalasset animam.

[23] Secundus autem non minus sentiens Dei omnipotentis manum, exclamat quoque, [eiusque socius:] ignis vim se ferre non posse, volensque intestina tormenta per aquam effugere, in torrentem proximum præceps insiliit: nec Dei tamen præsentiam effugit. Nam statim aquis submersus & suffocatus interiit.

[24] Porro tertius cernens suorum miserabilem exitum, sui impos ac totus exanimis humi affligitur, ac deportatus in proximam domum, totus feruentissimis febribus æstuabat, adeoque violentis, vt miserum de se spectaculum omnibus exhiberet. [tertius febribus cruciatus,] Cuius miseria permoti cognati, amici, maxime & commilitones Catholici, ad templum, velut ad asylum, confugere, Deo Patri (sacerdote perquisito) sacrificium mediatoris, solenni cantu, coram imagine S. Antonij immolare, ac vnanimiter cateruatim proruentes tam milites, quam dicti loci incolæ, Deum summa animi deuotione pro miseri fratris salute comprecari, postque sacrificium & multas preces afflictum inuisere, præmissisque multis aliis orationibus aquam ei benedictam Sacerdos adspergebat. E vestigio ille miser sibi redditus, crimen agnoscit, Dei misericordiam inclamat, ac manus tendens in cælum, humilibus ac magnis precibus suum errorem professus accusans, omnium deprecationes supplex ambit, vt pro ipso Deum clementissimum interpellent. Nec defuit diuina misericordia: [postea redditur sanitati.] nam statim pristinae valetudini ac menti restituitur, eaque etiamnum hodie fruitur. Hæc veraciter sub oculis plusquam trium millium hominum palam gesta, docent, quam reuerentiam venerandis Sanctorum imaginibus debeamus: nam etsi numen in illis nullum sit, tamen eorum nobis refricant subinde memoriam quos repræsentant, ac ad gloriosa Dei in suis Sanctis opera collaudanda, eorumque pia patrocina imploranda plerosque Christianorum exstimulant. Quin & contumelia illata ipsis, in Dei seruos, imo in communem Dominum, redundat: qui hic aliquando etsi silere videatur, non tamen silebit semper.

[25] Anno illo Goessiacò MDLXVI. cum per Belgium passim iconoclastæ in venerandas Sanctorum imagines desæuissent, Busciducis accidit quosdam D. Antonij imaginem gladiis, ascia, & bipennibus in frusta concidere, vt incendio via publica abolerent. Verum quod accidit,

non sane impune tulere impij: euestigio namque illa peste, [Alij sacrilegi & blasphemij puniti Siluæ-ducis:] quam D. Antonij iam olim appellamus Christiani, (quod illi depellendæ sint eius apud Deum pij experti sæpe patrocini) corripuntur, totoque vtriusque corpore instar granorum piperis pestilens ille ignis ebullit: domum sese recipiunt infelices; quorum plaga socij deterriti, rogam deserunt trepidi. Tam atroci atque voraci consumebantur miseri totum per corpus incendio, vt postridie impiam efflarint animam, & funesta reliquerint cadauera, variorum colorum stigmatibus, cæruleis, prasinis, atris insignita. Istud tam est tota vicinia notum, vt plurimos huius rei non solum audierimus concorditer historiam ad viuum depingentes, additis etiam tam sacrilegorum, quam familiarium nominibus; sed publici etiam viderimus Notarij, fide non indigni neque obscuri, testimonium.

[26] Publico multorum sermone, editisque scriptis constat, atque etiamnum hodie superstites sunt viri fide dignissimi, qui nobis retulerunt, eo ipso tempore, cum Goesij in Belgio tumultuarentur, & Guilhelmus Comes Montensis, Aurangiacæ Principis Guilhelmi sororius, monasterium Franciscanorum prope Embricam, ab eiusdem Comitibus maioribus, vt fertur, quondam religiose fundatum, demoliretur (cuius demolitionis, per menses aliquot successiue durantis, postremos actus ego ipsemet vidi) quemdam hominem nouis dogmatibus dementatum superuenisse, & omnibus iam statuis, imaginibus, & altaribus vastatis & exturbatis, inuenisse adhuc residuam ibi statuam D. Antonij: quam iste protinus proterua manu corripens in terram colliserit, pedibusque conculcauerit, & quibuscumque poterat modis exagitauerit. Evenit autem, vt forte assisteret mulier quæpiam Catholica, [alius in Sutphania.] quæ hominem compellans, ait: Quid in te peccauit D. Antonius, quod statuam eius tam indigne exagitas? Ille protinus in proteruam hanc vocem prorupit:

Quid tu mihi obstrepis de S. Antonio? Si quam ille vim aut virtutem habet, eam declaret. Nec mora: euestigio iste in Sanctum blasphemus, igne sacro, quem vocant D. Antonij, corripitur, totoque corpore vstulatur; & tandem sacro igne totus, Deo vindicante, excarnificatus, animam exhalat.